

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio XXXVIII: Pro T. Annio Milone

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)



P. B. PRO T. ANNIO
MILONE.

ORATIO XXXVIII.

RETI uereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo uiro dicere incipientem, timere? minimeq; deceat, cum T. Annio Milo ipse magis de reip. salute, quam de sua perturbetur, ne ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non posse: tamen hæc noui iudicij noua forma terret oculos, qui, quocumq; inciderint, uetere consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum minime uident. non enim corona concessus uester cinctus est, ut solebat: non usitata frequentia stipati sumus. nam illa presidia, quæ pro tēplis omnibus cernitis, etsi contra uim collocata sunt, afferūt tamen oratori horrores aliquid; ut in foro, & in iudicio, quamquam presidij salutarijs, & necessarijs septi sumus, tamen, ne non timere quidē sine aliquo timore possimus. quæ si opposita Miloni putarem; cederem tempori, iudices, nec inter tantam uim armorum existimarem oratori locum esse. sed me recreat, & reficit Cn. Pompeij sapientissimi, & iustissimi uiri consiliū: qui profecto nec iustitia sua putaret esse, quem reum sentētijs iudicum tradidisset, eundem telis militum dedere, nec sapientia, temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publica armare. Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, sed presidium
denun

denuntiant: neque solum, ut quieto, sed etiam, ut magno animo simus, hortantur: neque auxilium modo defensionis meae, uerum etiam silentium pollicentur. Reliqua uero multitudo, quae quidem est ciuium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos undique intuentis ex hoc ipso loco cernitis, unde aliqua pars fori aspici potest, & huius exitum iudicij expectantem, non cum uirtuti Milonis fauet, tum de se, de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die decertari putat. Vnum genus est aduersum, infestumque nobis eorum, quos P. Clodij furor rapinis, & incendijs, & omnibus exitijs publicis pauit: qui besterna etiam cōcione incitati sunt, ut uobis uoce praerent, quid iudicaretis, quorum clamor, si quis forte fuerit, admonere uos debebit, ut eum ciuem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoreque; maximos pro uestra salute neglexit. Quamobrem adeste animis, iudices, & timorem, si quem habetis, deponite. Nam, si umquam de bonis, & fortibus uiris, si umquam de benemeritis ciuibus potestas uobis iudicandi fuit, si denique; umquam locus amplissimorum ordinū delectis uiris datus est, ubi sua studia erga fortes, & bonos ciues, quae uultu, & uerbis saepe significassent, re, & sententijs declararent: hoc profecto tempore eam potestatem omnem uos habetis, ut statuatis, utrum nos, qui semper uestrae auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus, an diu uexati a perditissimis ciuibus, aliquando per uos ac uestram fidem, uirtutem, sapientiamque; recreemur. Quid enim nobis duobus, iudices, laboriosius? quid magis sollicitum, magis exercitum, dici, aut fingi potest? qui spe amplissimorum praemiorum ad reipubl. adducti, metu crudelissimorum exitiorum carere non possumus. Et quidem ceteras tempestates, & procellas in illis duntaxat fluctibus concionum

semper putavi Miloni esse subeundas, quod semper pro
 bonis contra improbos senserat: in iudicio uero, & in eo
 P. B. consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi uiri iudicarent, numquam existimaui spem ullam esse habituros
 Miloni inimicos, ad eius non salutem modo extinguendam, sed etiam gloriam per tales uiros infringendam.
 Quamquam in hac causa, iudices, T. Annij tribunatu, rebus omnibus pro salute reipubl. gestis, ad huius criminis defensionem non abutemur, nisi oculis uideritis insidias Miloni a Clodio factas: nec deprecaturi sumus, ut crimen hoc nobis multa propter praecleara in reimp. merita condonetis; nec postulaturi, ut, si mors P. Clodij salus uestra fuerit, iccirco eam uirtuti Milonis potius, quam populi Romani felicitati assignetis. sed, si illius insidia clariore hac luce fuerint; tum deniq; obsecrabo, obtestaborque nos, iudices, si cetera amisimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia, et lisque uitam ut impune liceat defendere. Sed, antequam ad eam orationem uenio, quae est propria nostrae quaestionis, uidentur ea esse refutanda, quae in senatu* ab inimicis saepe iactata sunt, & in concione ab improbis, etiam paullo ante ab accusatoribus: ut, omni errore sublato, rem plane, quae uenit in iudicium, uidere possitis. Negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, qua primum iudicium de capite uidit M. Horatij fortissimi uiri: qui, nondum libera ciuitate, tamen populi Romani comitibus liberatus est, cum sua manu sortorem interfectam esse fateretur. An est quisquam, qui hoc ignoret, cum de homine occiso quaratur, aut negari solere omnino esse facti; aut recte, ac iure factum esse defendit. Nisi

uero existimetis dementem P. Africanum fuisse, qui cū a
 C. Carbone tribuno pleb. in concione seditiose interrogaretur,
 quid de Tib. Gracchi morte sentiret, respondit, iure ce- 103.
 sum uideri. Neq; enim posset aut Abala ille Seruilius, aut
 P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me consule,
 senatus non nefarius haberi, si sceleratos ciues interfici ne-
 fas esset. Itaque hoc iudices, non sine causa fictis fabulis
 doctissimi homines memoria prodiderunt, eum, qui patris
 ulciscendi causa matrem necauisset, uariatis hominum
 sententiis, non solum humana, sed etiam de a sapientissima
 sententia liberatum. Quod si duodecim tabula nocturnum
 furem quoquo modo; diurnum autem, si se telo defenderit,
 interfici impune uoluerunt: quis est, qui, quoquo modo qui
 interfectus sit, puniendum putet, cum uideat aliquando
 gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porri-
 gi legibus? Atqui, si tempus est ullum, iure hominis ne-
 candi, quæ multa sunt, certe illud est non modo iustum,
 uerum etiam necessarium, cum ui uis illata defenditur. Pu-
 dicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exerci-
 tu C. Marij propinquus eius imperatoris, interfectus ab
 eo est, cui uim afferebat: facere enim probus adolescens pe-
 riculose, quam perpeti turpiter maluit. Atq; hunc ille uir-
 summus scelere solum periculo liberauit. Insidiatore ue-
 ro, & latroni, quæ potest afferri iniusta nex? Quid co-
 mitatus nostri, quid gladij uolunt? quos habere certe non
 liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim hæc, iudices,
 non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus,
 legimus, uerum ex natura ipsa arripimus, hausimus, ex-
 pressimus; ad quæ non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti
 sumus; ut, si uita nostra in aliquas insidias, si in uim, si in te-
 la aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio
 esset

P. B. *se* esset expediendæ salutis. Silent enim leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei, qui expectare uelit, ante iniusta poena luenda sit, quam iusta recipienda. Etsi persapienter, & quodammodo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi: quæ non hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa uetat: ut, cum causa, nõ telum quæreretur, *qui sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occidendi causa habuisse telum indicaretur. Quapropter hoc maneat in causa, iudices. non enim dubito, quin probaturus sim uobis defensionem meam, si id meminertis, quod obliuisci non potestis, insidiatorem iure interfici posse. Sequitur illud, quod à Milonis inimicis sæpissime dicitur, Cædem, qua P. Clodius occisus est, senatum indicasse contra remp. esse factam. Illam uero senatus non sententis suis solum, sed etiam studiis comprobauit. Quoties enim est illa causa à nobis acta in senatu? quibus assensionibus uniuersi ordinis? quam nec tacitis, nec occultis? Quando enim frequentissimo senatu quatuor, ad summum quinque sunt inuenti, qui Milonis causam non probarent? declarant huius ambusti tribuni plebis illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie meam potentiam inuidiose criminabatur, cum diceret, senatum non quod sentiret, sed quod ego uellem, decernere. Quæ quidem si potentia est appellanda potius, quam propter magna in remp. merita, mediocris in bonis causis auctoritatis, aut propter officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia; appelletur ita sane, dummodo ea nos utamur pro salute honorum contra amentiam perditorum. Hanc uero questionem, etsi non est iniqua, numquam tamen senatus constituendum putauit. erant enim leges, erant questiones uel de cæde, uel de uir: nec tantum maiorem, ac luctum senatui mors P. Clodij afferebat,

ut nona quæstio constitueretur. Cuius enim senatui de illo incesto stupro iudicium decernendi potestas esset erepta, de eius interitu, quis potest credere senatum iudicium nouum constituendum putasse? Cur igitur incendium curia, oppugnationem ædium M. Lepidi, eadem hanc ipsam, contra rempubl. senatus factam esse decreuit? quia nulla uis umquam est in libera ciuitate suscepta inter ciues non contra rempu. Non enim est ulla defensio contra uim umquam optanda; sed nonnumquam est necessaria, nisi uero aut ille dies, in quo Tib. Gracchus est cæsus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiam si e republica, rempubl. tamen non uulnerarunt. Itaq; ego ipse decreui, cum eadem in Appia factam esse constaret, nõ eum qui se defendisset, contra rempublicam fecisse: sed, cum inesse in re uis, & insidia, crimen iudicio reseruauit, rem notari. Quod si per furiosum illum tribunum senatui, quod sentiebat, perficere licuisset: nouam quæstionem nunc nullam haberemus, decernebat enim, ut ueteribus legibus tantummodo extra ordinem quæreretur. diuisa sententia est, postulante nescio quo, nihil enim necesse est omnium flagitia proferre: sic reliqua auctoritas senatus, emptâ intercessione, sublata est. At enim Cn. Pompeius rogatione sua & de re, & de causa iudicauit. tulit enim de cæde, qua in Appia uia facta esset, in qua P. Clodius occisus fuit, quid ergo tulit? nempe, ut quæreretur, quid porro quærendum est? factum ne sit? at constat. a quod at patet: uident etiam in confessione facti, iuris tamen defensionem suscipi posse. quod nisi uidisset posse absolui eum qui fateretur cū uideret nos fateri; neq; quæri umquã iussisset, nec uobis tam salutarem hanc in iudicando litterã, quam illã tristem dedisset. Mibi uero Cn. Pomp. non modo nihil grauius con-

tra Milonem iudicasse, sed etiam statuisse uidetur, quid uos
 in iudicando spectare oporteret. nam, qui non penam con-
 fessione, sed defensionem dedit, is causam interitus queren-
 dam, non interitum putauit. Iam illud dicet ipse profecto,
 quod sua sponte fecit, P. ne Clodio tribuendum putet, an
 tempore Domi sua nobilissimus uir, senatus propugnator,
 atq; illis qui dem temporibus pene patronus, auunculus
 huius nostri iudicis, fortissimi uiri Catonis tribunus pleb.
 M. Drusus occisus est. nihil de eius morte populus consul-
 tus, nulla quaestio decreta à senatu est. Quantum luctum in
 hac urbe fuisse, à nostris patribus accepimus, cum P. Afri-
 cano domi sua qui scenti illa nocturna uis esset illata!
 quis tum non genuit? quis non arsit dolore? quem immorta-
 lem, si fieri posset, omnes esse cuperent, eius ne necessariam
 quidē expectatā esse mortem? num igitur ulla quaestio de
 Africani morte lata est? certe nulla. quid ita? quia non alio
 facinore clari homines, alio obscuro necantur. inter sit inter-
 ita dignitatem summorum, atque infimorum: mors qui-
 dem illata per scelus uisdem pennis teneatur, & legibus. nisi
 forte magis erit parricida, si quis cōsulare patre, quā si
 quis humilem necauerit, aut eo mors atrocior erit P. Clo-
 dii, quod is in monumentis maiorum suorum sit interfectus.
 hoc enim saepe ab istis dicitur: perinde quasi Appius ille
 Cæcus uiam manerit, non qua populus uteretur, sed ubi im-
 pune sui posteri latrocinarentur. Itaq; in eadem ista Appia
 uia cum ornatissimum equitem Ro. M. Papium occidisset,
 non fuit illud facinus puniendum. homo enim nobilis in
 suis monumentis equitem Roman. occiderat. Nunc eius-
 dem Appia nomen quantas tragedias excitat? quæ cru-
 entata antea cade honesti, atq; innocentis uiri flebatur,
 p. 105. eadem nūc crebro usurpatur, postea quā latronis, & par-
 ricida

ricidæ sanguine imbuta est. Sed quid ego illa commemoros
 comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodij, quæ
 ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat. extor-
 ta est confitenti sic a manibus. caruit foro postea Pom-
 peius, caruit senatu, caruit publico: ianuas, se, ac parieti-
 bus, non iure legum, iudiciorumque textit. num qua rega-
 tio lata? num qua noua quaestio decreta est? atqui si res, si
 uir, si tempus ullum dignum fuit, certe hæc in illa causa
 summa omnia fuerunt. insidiator erat in foro collocatus,
 atque in uestibulo ipso senatus: ei uiro autem mors para-
 batur, cuius in uita nitetur salus ciuitatis: eo porro reip.
 tempore, quo si unus ille occidisset, non hæc solum ciui-
 tas, sed gentes omnes concidissent. n si forte, quia perfecta
 res non est, non fuit puniendæ, perinde quasi exitus rerum,
 non hominum consilia legibus uindicentur. minus dolendū
 fuit, re non perfecta, sed puniendum certe nibilo minus.
 Quoties ipse, iudices, ex P. Clodij telis, & ex cruentis eius
 manibus effugit ex quibus si me non mea, uel reip. fortuna
 seruasset, quis tandem de interitu meo quaestionem tulisset?
 Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompeiū,
 nosmet ipsos, cum P. Clodio conferre audeamus. tolerabi-
 lia fuerunt illa. P. Clodij mortem æquo animo nemo
 ferre potest: luget senatus: mæret equester ordo: tota ci-
 uitas confecta senio est: squalent municipia: afflictaur co-
 lonia, agri deniq; ipsi tam beneficium; tam salutarem, tam
 mansuetum ciuem desiderant. Non fuit ea causa, iudices,
 non fuit, cur sibi censeret Pompeius quaestionem ferendā:
 sed homo sapiens, & alta quadam mente præditus, multa
 uidit: fuisse sibi illum inimicū, familiarē Milonem: in com-
 muni omnium letitia si etiā ipse gauderet; imuit, ne uideretur
 inferior fides reconciliatæ gratiæ. multa etiā alia ui-
 dit,

P. B.

dit sed illud maxime: quamuis atrociter ipse tulisset, nos tamen fortiter iudicatuos. Itaque delegit e florentissimis ordinibus ipsa lumina: neque uero, quod nonnulli dicitur, am, secreuit in iudicibus legendis amicos meos, neq; enim hoc cogitauit uir iustissimus, neq; in bonis uiris legēdis id assequi potuisset, etiā si cupisset. nō enim mea gratia familiaritatibus coninetur, quae late patere non possunt; propterea quod consuetudines uictus non possunt esse cum multis: sed, si quid possumus, ex eo possumus, quod respub. nos coniunxit cum multis, ex quibus ille cum optimos uiros legeret, idq; maxime ad fidem suam pertinere arbitretur, non potuit legere non studiosos mei. Quod uero te, Cn. Domiti, huic quaestioni praesse maxime uoluit, nihil quaesuit aliud nisi iustitiam, grauitatem, humanitatem, fidem tulit, ut consulare necesse esset: credo, quod principum munus esse ducebat, resistere & leuitati multitudinis, & perditorum temeritati. ex consularibus te creauit potissimum, dederas enim, quam cōtemneres populares insanias, iam ab adolescentia documēta maxima. Quamobrem, iudices, (ut aliquando ad causam, crimenq; ueniamus) si neq; omnis confessio facti est inuisitata; neq; de causa quidquam nostra aliter, ac nos uellemus, a senatu iudicatu est; & lator ipse legis, cum esset controuersia nulla facti, iuris tamen disceptationem esse uoluit; & electi iudices, & isti praepositus quaestioni, qui haec iuste, sapienterq; disceptet: reliquū est, iudices, ut nihil iā aliud quaerere debeatis, nisi si uter utri insidias fecerit: quod quo facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam uobis dum breuiter expono, quaeso diligenter attendite. P. Clodius, cū statuisset omni scelere in praetura uexare rempub. uideretque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos mēses praetura

P. 106.

gere

gerere posset: qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, sed & L. Paullum collegam effugere uellet, singulari uirtute ciuem, & annum integrum ad dilacerandam rempub. quæreret: subito reliquit annum suum, seq; in annum proximum transfudit, non religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad præturam gerendam, hoc est, ad euentandam rempub. plenum annum, atq; integrum. occurrebat, mancã, ac debilem præturam suam futuram, cõsule Milone: eum porro summo consensu populi Rom. consulem fieri uidebat, contulit se ad eius competitores, sed ita totã ut petitionem ipse solus etiam, inuitis illis, gubernaret, tota ut comitia suis, ut dicebat, humeris sustineret, conuocabat tribus: se inieperat: coloniam nouam, deletum perditissimorum scribebat ciuium. quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies conualecebat. ubi uidit homo ad omne facinus paratissimus fortissimum uirum, inimicissimum suum certissimum consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragijs populi Romani sepe esse declaratum: palam agere cõpit, & aperte dicere, occidendum Milonem. seruos agrestes, & barbaros, quibus siluas publicas depopulatus erat: Etruriamq; uexarat, ex Apennino deduxerat, quos uidebatis. res erat P. B. minime obscura. etenim palam dicebat, cõsulatum Miloni eripi non posse, uitam posse. significauit hoc sepe in senatu, dixit in concione. quin etiam Fauonio fortissimo uiro querenti ex eo, qua spe sureret, Milone uiuo: respondit, triduo illum, ad summum quatruiduo periturum. quam uocem eius ad hunc M. Catonem statim Fauonius detulit. Interim cum sciret Cloãiu. (neq; enim erat difficile scire) iter sollempne, legitimum, necessarium, ante diem XIII. Kal. Febr. Miloni esse Lanuuium ad flaminem prodendum,

quod erat dictator Lanuvij Milo: Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum (quod re intellegimus est) Miloni insidias collocaret. atque ita profectus est, in concionem turbulentam, in qua eius furor desideratus est, quae illo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum, tempusque veluisset, numquam reliquisset. Milo autem cum in senatu fuisset eo die, quo ad senatus dimissus est, domum venit: calceos, & uestimenta mutavit paulisper, dum se uxor (ut fit) comparat, commemoratus est: deinde profectus est id temporis, cum iam Clodius, (si quidem eo die Romam venturus erat,) redire potuisset, obviam fit ei Clodius expeditus in equo, nulla rheda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat, sine uxore, quod numquam fere: cum hic insidiator, qui iter illud ad eadem faciendam apparasset, cum uxore ueberetur in rheda penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri, & delicato ancillarum, puerorumque comitatu. obviam Clodio ante fundum eius hora fere undecima, caetera non multo secus. statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum: aduersi rhedarii: occidunt. cum autem hic de rheda, reiecta penula, desiluisset, seque acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio gladijs eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorirentur: partim, quod hunc iam interfectum putarent, cadere incipiunt eius seruos, qui post erant, & quibus qui animo fideli in dominum erant, & praesentes fuerunt, partim occisi sunt, partim, cum ad rhedam pugnari uiderent, & domino succurrere prohiberentur, Milonemque occisum etiam ex ipso Clodio audirent, & ita esse putarent: fecerunt id serui Milonis (dicam enim non deriuandi criminis causa, sed ut factum est) neque im-

P.107.

perante, neque sciente, neque presente domino, quod suos quisque seruos in tali re facere uoluisset. Hec, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus, uis uicta uis, uel potius oppressa uirtute audacia est. Nihil dico, quid re publica consecuta sit; nihil quid uos, nihil quid omnes boni: nihil sane id profuit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem seruare potuerit, quin una rempub. uosque seruaret. si id iure non posset, nihil habeo, quod defendam. sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa perscripsit, ut omnem semper uim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à uita sua propularent: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut uestris sententiis esse perendum. quod si ita putasset, certe optabilius Miloni fuit dare iugulum P. Clodio, non semel ab illo, neque tum primum petitum, quam iugulari a uobis, quia se illi non iugulandum tradidisset. sin hoc nemo uestrum ita sentit: illud iam in iudicium uenit, non, occisusne sit, quod fatemur; sed iure, an iniuria: quod multis antea in causis iam quaesitum est. Insidias factas esse constat: & id est, quod senatus contra rempublicam factam esse iudicauit: ab utro facte sint, incertum est: de hoc igitur latum est, ut quaeretur. Ita & senatus rem, non hominem notauit, & Pompeius de iure, non de facto questionem tulit. Num quid igitur aliud in iudicium uenit, nisi uter utri insidias fecerit? profecto nihil, si hic illi, ut ne sit impune: si ille huic, tum nos scelere soluamur. Quoniam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? satis est quidem in illam tam audaci, tam nefaria bellua docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte pro-

positam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum,
 CUI BONO FVERIT, in his personis ualeat; etsi
 boni nullo emolumento impelluntur in fraudem; improbi
 saepe paruo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc asseque-
 batur, non modo ut praetor esset, non eo consule, quo sce-
 leris nihil facere posset: sed etiam ut, his consulibus, prae-
 tor esset, quibus si non adiuuantibus, at coniuuentibus cer-
 te sperasse: se posse rempub. eludere in illis suis cogitatis
 furoribus. cuius illi conatus, ut ille ratiocinabatur, nec, si
 cuperent, reprimere possent, cum tantum beneficium ei
 se debere arbitrarentur: & si uellent, fortasse uix possent
 frangere hominis sceleratissimi corroboratam iam uetu-
 state audaciam. An uero, iudices, uos soli ignoratis? uos
 hospites in hac urbe uersamini? uestrae peregrinantur
 aures? neque in hoc peruagato ciuitatis sermone uersan-
 tur, quas ille leges (si leges nominandae sunt, ac non faces
 urbis, & pestes reipub.) fuerit impositurus nobis omni-
 bus, atque iniustus? Exhibe quae so, Sexte Clodi, Exhibe
 librarium illud legum uestrarum, quod te aiunt eripuisse e
 domo, & ex medijs armis, turbae nocturna, tamquam
 Palladium, sustulisse, ut praclarum inde munus, atque in-
 strumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, qui tuo
 arbitrio tribunatum gereret, deferre posses. Et aspexit me
 quidem illis oculis, quibus tum solebat, cum omnia omni-
 bus minabatur, mouet me quippe lumen curiae. quid? tu me
 iratum, Sexte, putas tibi, cuius tu inimicissimum. multo
 crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae
 postulare? Tu P. Clodij cruentum cadauer eiecisti domo:
 tu in publicum eiecisti: tu spoliatum imaginibus, exsequijs,
 pompa, laudatione, infelicissimis lignis semiustulatum, no-
 cturnis canibus dilaniandum reliquisti. quam rem eis ne-
 cessaria

cessario fecisti; tamen, quoniam in meo inimico crudelitate
 exprospisti tuam, laudare non possum, irasci certe
 non debeo. P. Clodij praturam non sine maximo rerum no-
 uarum motu proponi solitam esse uidebatis; nisi esset is cō-
 sul, qui eam auderet, possetq; confringere. Eum Milonem
 esse cum sentiret uniuersus populus Rom. quic dubitaret
 suffragio suo se metu, periculo rempub. liberare? At* non
 P. Clodio mortuo, usitatis iam rebus obnitendum est Mi-
 loni, ut tutatur dignitatem suam. singularis illa huic uni
 concessa gloria, quæ quotidie augebatur, frangendis furo-
 ribus Clodianis, iam morte Clodij cecidit: uos adepti estis,
 ne quem ciuem metueretis: hic exercitationem uirtutis,
 suffragationem consularis, fontem perennem gloriæ suæ
 perdidit. Itaq; Milonis consularis, qui, uiuo Clodio, labefa-
 ctari non poterat, mortuo deniq; tentari ceptus est. Non
 modo igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodij mors
 Miloni. At ualuit odium: fecit iratus, fecit inimicus, fecit
 ultor iniuriæ, punitor doloris sui. quid, si hæc, non dico ma-
 iora fuerunt in Clodio, quam in Milone; sed in illo maxima,
 nulla in hoc? quid uultis amplius? quid enim odisset Clo-
 dium Milo, segetem, ac materiam suæ gloriæ, præter hoc
 ciuile odium, quo omnes improbos odimus? ille* erat ut
 odisset primum defensorẽ salutis meæ, deinde uexatorem
 furoris, domitorem armorum suorum: postremo etiam ac-
 cusatorem suum. reus enim Milonis lege Plotia fuit Clo-
 dius, quoad uixit. quo tandem animo hoc tyrannum tu-
 lisse creditis? quantum odium ipsius, & in homine iniustus,
 quam etiam iustum* esse? Reliquum est, ut iam illum na-
 tura ipsius, consuetudoque defendat. hunc autem hæc ea-
 dem coarguant. nihil per uim umquam Clodius, omnia per
 uim Milo. Quid ergo iudices? cum marentibus uobis urbe

P. E.

cessi: non seruos, non arma, non uim intentauit? qua fuisset
 igitur caussa restituendi mei, nisi fuisset iniusta euicendi?
 Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat, actionem
 perduellionis intenderat: & mihi, iudices, in caussa aut ue-
 stra mala, aut mea nec præclarissima, etiam iudicium ti-
 mendum fuit? seruorum, & egentium ciuium, & facimoro-
 sorum armis meos ciues, meis consiliis, periculisq; serua-
 tos pro me obici nolui. uidi enim, uidi hunc ipsum Q. Hor-
 tensium, lumen, & ornamentum reipub. pene interfici ser-
 uorum manu, cum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus
 senator uir optimus, cum hoc cum esset una, ita est multa-
 tus, ut uitam amiserit. Itaque, quando illius postea sic illa,
 quã à Catilina acceperat, conquecuit? hæc intentata nobis
 est: huic ego uos obici pro me non sum passus: hæc insidia-
 ta Pompeio est: hæc istam Appiam uiam monumentum
 sui nominis nece Papirij cruentauit: hæc eadem longo in-
 teruallo conuersa rursus est in me: nuper quidem, ut scitis,
 me ad regiam pene confecit. Quid simile Milonis cæuius uis
 omnis hæc semper fuit, ne P. Clodius cum in iudicium* de-
 trahi non posset, ut oppressam ciuitatem teneret, quem si
 interficere uoluisset, quantæ, * quoties occasiones, quam
 præclaræ fuerunt? potuitne, cum domum, ac deos penates
 suos, illo oppugnante, defenderet, iure se ulcisci? potuitne,
 ciue egregio, & uiro fortissimo P. Sextio collega suo uul-
 nerato? potuitne Fabricio uiro optimo, cum de reditu meo
 legē ferret, pulso, crudelissima in foro cæde facta? potuitne
 L. Cæcilij iustissimi, fortissimiq; prætoris oppugnata domo?
 potuitne illo die, cum est lata lex de me; cum totius Italiæ
 concursus, quem mea salus concitabat, facti illius gloriæ
 libens agnouisset, ut, etiam si id Milo fecisset, cuncta ciui-
 tas eam laudem pro sua uēdicaret? At qui erat id temporis
 clar

clarissimus, & fortissimus consul inimicus Clodio, P. Læ-
 tulus ultor sceleris illius, propugnator senatus, defensor
 uestre uoluntatis, patronus illius publici confersus, resti-
 tutor salutis meae, septem praetores, octo tribuni plebis, il-
 lius aduersarij, defensores mei: Cn. Pompeius auctor, & dux
 mei reditus, illius hostis: cuius sententiam senatus omnis
 de salute mea grauissimam, & ornatissimam secutus est:
 qui populum Romanum cohortatus: qui cum de me
 decretum Capuae fecisset, ipse cuncta Italia cupienti, &
 eius fidem imploranti signum dedit, ut ad me restituendū
 Romam concurrerent, omnia tum denique in illum odia
 ciuium ardebant desiderio mei: quem qui tum interemis-
 set, non de impunitate eius, sed de praeiis cogitaretur. Ta-
 men se Milo continuit, & P. Clodium ad iudicium bis, ad
 uim numquam uocauit. Quid? priuato Milone, & reo ad
 populum, accusante P. Clodio, cum in Cn. Pompeium pro
 Milone dicentem impetus factus est, quæ tum non modo
 occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit? Nuper ue-
 ro, cum M. Antonius summam spem salutis bonis omnibus
 attulisset, grauissimamque adolescens nobilissimus reipub. P. B.
 partem fortissime suscepisset, atque illam belluam iudicij
 laqueos declinantem iam irretitam teneret: qui locus, quod
 tempus illud, dii immortales, fuit? cum se ille fugiens in
 scalarum tenebris abdidisset: magnum Miloni fuit confici-
 cere illam pestem nulla sua inuidia, Antonij uero maxima
 gloria? * Quid? comitibus in campo quoties potestas fuit?
 cum ille ui in septa irruisset, gladios distringendos, lapides
 iaciendos curasset, deinde subito, uultu Milonis perterrit-
 us fugeret ad Tiberim, uos, & omnes boni uota faceretis
 ut Miloni uti uirtute sua liceret? Quem igitur cum omnium
 gratia noluit, huic uoluit cum aliquorum querela? quem

iure, quem loco, quem tempore, quem impune non est aus-
 sus: hunc iniuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo
 capitis non dubitavit occidere? praesertim, iudices, cum ho-
 noris amplissimi contentio, & dies comitorum subesset:
 quo quidem tempore (scio enim quam timida sit ambi-
 tio, quantaque, & quam sollicita cupiditas consulatus) om-
 nia non modo, quae reprehendi palam, sed etiam quae ob-
 scure cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam fi-
 ctam, falsam perhorrescimus, ora omnium, atque oculos
 intuemur. nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut
 fragile, aut flexibile, quam uoluntas erga nos, sensus quo-
 cunium: qui non modo improbitati irascuntur candidato-
 rum, sed etiam in recte factis saepe fastidiunt. Hunc diem
 igitur campi speratum, atque exoptatum sibi proponens
 Milo cruentis manibus scelus, & facinus praese ferens, &
 confitens, ad illa angusta centuriarum auspicia uenie-
 bat? quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clo-
 dio non dubitandum, qui se, interfecto Milone regnatura-
 rum putaret? Quid quod caput audaciae est, iudices: quis
 ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis
 spem? in utro igitur haec fuit? in Milone, qui etiam nunc
 reus est facti aut praecleari, aut certe necessarij; an in Clo-
 dio qui ita iudicia, poenamque contempserat, ut eum ni-
 hil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per le-
 ges liceret? Sed quid ego argumentor? quid plura dispu-
 te, Q. Petilli, appello optimum, & fortissimum ciuemite,
 M. Cato, testor: quos mihi diuina quaedam sors dedit, iu-
 dices: uos ex M. Fauonio audistis, Clodium sibi dixisse,
 & audistis, uiuo Clodio, periturum Milonem triduo:
 post diem tertium gesta res est, quam dixerat. cum ille
 non dubitaret aperire quid cogitaret; uos potestis dubita-
 re

R. I IO.

re quid fecerit? Quemadmodum igitur eum dies non sefel-
 licè dixi equidem modo. Dictatoris Lanuuii stata sacrifi-
 cia nosse, negotij nihil erat: uidentur necesse esse Miloni profici-
 sci Lanuuium illo ipso, quo profectus est, die. itaque ante-
 uerit. at quo die? quo, ut ante dixi, insanissima cōcio ab
 ipsius mercenario tribuno plebis est concitata: quem diem
 ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum
 facinus approperearet, numquam reliquisset. Ergo illi ne
 causa quid in itinere, etiam causa manendi: Miloni nulla
 facultas manendi, ex eūdi non causa solū, sed etiam neces-
 sitas fuit. Quid, si, ut ille scivit Milonem fore eo die in uia,
 sic Clodium Milone suspicari quidem potuit? Primum qua-
 ro, qui scire potuerit? quod uos idem in Clodio querere
 non potestis. ut enim neminē alium, nisi T. Patinam fami-
 liarissimum suum rogasset, scire potuit illo ipso die Lanu-
 uij a dictatore Milone prodi flammam necesse esse: sed erāt
 permulti alij, ex quibus id facillime scire posset, omnes
 scilicet Lanuuii. Milo de Clodij reditu unde quasuit?
 quasierit sane. Videte, quid nobis largiar. seruum etiam,
 ut Arrius meus amicus dixit, corruerit. Lege testimo-
 nia testium uestrorum. dixit C. Cassinius, cognomento
 Schola, Interamnis, familiaris meus & idem comes P. Clo-
 dij, cuius iam pridem testimonio Clodius eadē hora Inte-
 ramnæ fuerat, & Roma, P. Clodium illo die in Albano mā-
 surum fuisse: sed subito ei esse nuntiatum Cyrum archite-
 ctum esse mortuum, itaque Romam repente cōstituisse pro-
 ficisci, dixit hoc comes item P. Clodij, C. Clodius. Videte, iu-
 dices, quanta res his testimonijs sint confecta. Primū certe
 liberatur Milo: non eo cōsilio profectus esse, ut insidiaretur
 in uia Clodio: quippe qui ei obuius futurus omnino non
 erat. deinde (nō enim uideo, cur nō meum agam negotium)

scitis iudices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerēt, Milonis manu eadem esse factam, consilio vero maioris alicuius. uidelicet me latronem, ac sicarium abiecti homines, & perditum describerant. Iacent suis testibus ij, qui Clodium negant eo die Romam, nisi de Cyro auditum esset, reditum fuisse. Respiravi: liberatus sum: non uercore, quod ne suspicari quidem potuerim, uidear id cogitasse. Nunc persequar cetera. nam occurrit illud: ne Clodius quidem de insidijs cogitauit, quoniam fuit in Albano mansurus, siquidem exiturus ad eadem è uilla non fuisset. uideo enim illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare. nam quid de Cyro nuntiaret, quem Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem? una fui, testamentum simul obsignaui cum Clodio: testamentum autem palam fecerat, & illum heredem, & me scripserat. quem pridie hora tertia animam efflantem reliquisset, eum mortuum postridie hora decima ei nuntiabatur? Age, sit ita factum quæ causa, cur Romam properaret? cur in noctem se cõijceret? quid afferebat festinationem? quod heres erat? primum erat nihil, cur properato opus esset: deinde, si quid esset, quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autẽ, si postridie mane Romã uenisset? Atque ut illi nocturnus ad urbem aduentus uitandus potius, quam expetendus fuit; sic Miloni, cum insidiator esset, si illum ad urbem noctu accessurum sciebat, subsistendum, atque expectandum fuit. noctu inuidioso, & pleno latronũ in loco occidisset. nemo ei neganti non credidisset; quem esse omnes saluum etiam contentum uolunt. Sustinisset hoc crimen primum ipse ille latronũ occultator, & receptor
* locus, dum neque muta solitudo indicasset, neque cæca nox
osten

P. III.

ostendisset Milonem: deinde ubi multi ab illo uiolati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam hæc timentes in suspicionem caderent: tota denique rea citaretur Etruria. Atque illo die certe Aricia rediens deuertit Clodius ad Albanum. quod nisi sciret illum Milo Aricia fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiam si Romam illo die reuertu uellet, ad uillam suam, quæ uiam tangeret, deuersurum. cur neq; ante occurrit, ne in uilla resideret; nec eo in loco subsedit. quo ille noctu uenturus esset? Video adhuc constare omnia, iudices: Miloni etiam utile fuisse, Clodium uiuere; illi ad ea, quæ concupierat optatissimum interitum Milonis fuisse: odium illius in hunc acerbissimum, in illum huius nullum: consuetudinem illius perpetuam in se inferenda, huius tantum in repellenda: mortem ab illo denuntiata[m] palam Miloni, & prædicatam, nihil umquam auditum ex Milone: profectio[n]is huius diem illi notum, reditum illius huic ignotum fuisse: huius iter necessarium, illius etiam potius alienum: hunc præ se tulisse illo die Roma exiturum. illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consilium, illum causam mutandi consilij finxisse: huic, si insidiaretur, nocte prope urbem expectandum; illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum. Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id uero, iudices, etiam dubitandum, & diutius cogitandum est: ante fundum Clodij: quo in fundo propter insanas illas substructiones, facile mille hominum uersabatur ualentium. Atqui excelso loco superiorem se fore putabat Milo, & ob eam causam eum locum ad pugnam potissimum delegerat, at in eo loco potius expectandum ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitabat. Res loquitur,

tur indices, ipsa; quæ semper ualet plurimum, si hæc non gesta audiretis, sed picta uideretis; tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali, cum alter uehretur in rheda penulatus, una sederet uxor. quid horum nõ impeditißimum? uestitus, an uehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam? cum penula irretitus, rheda impeditus, uxorè pæne constrictus esset. Videte nunc illum primum egredientem e uilla subito. cur uesperis? quid necesse est tarde? qui conuenit, præsertim id temporis? Deuertit in uillam Pompeij: Pompeium ut uideret, sciebat in Alsensi esse procul inde: uillam ut perspiceret? millies in ea fuerat. quid ergo erat moræ, & tergiuersationis? dum hic ueniret, locum relinquere uoluit. Age: nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate.

P. II. 2. Semper ille antea cum uoxore, tum sine ea: numquam non in rheda, tum in equo: comites Græculi, quocumque ibat, etiam cum in castra Etrusca properabat: tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui numquam, tũ casu pueros symphonicos uxoris ducebat, & ancillarum greges, ille, qui semper secum scortas, semper exoletos, semper lupas ducebat. tum neminem, nisi ut uirum à uiro lectum esse diceres. Cur igitur uictus est? quia non semper uiator a latrone, nonnumquam etiam latro a uiatore occiditur: quia quamquam paratus in imparatos, Clodius tamen mulier inciderat in uiros. nec uero sic erat unquam non paratus Milo contra illum, ut non satis fere esset paratus. semper ille, & quantum interesset P. Clodij, se perire, & quanto illi odio esset, & quantum ille auderet, cogitabat. quamobrem uitam suam, quam maximis præmijs propositam, & pæne addictam sciebat, nunquã in periculũ sine præsidio, & sine custodia præhebat. Adde casus, adde

incertos exitus pugarum; Martemque communem: qui saepe spoliante iam, & exultante euerit, & perculit ab abiecto. adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis: qui cum à tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitauit: in quos incensos ira, uitaque domini desperantes cum incidisset, haesit in his pœnis, quas ab eo serui fideles pro domini uita expetiuerunt. Cur igitur eos manumisit? metuebat scilicet, ne indicaretur, ne dolorem perferre non possent, ne tormentis cogere-
 rentur, occisum esse a seruis Milonis in Appia uia P. Clodium confiteri. Quid opus est tortore? quid quaeris? occideritne? occidit iure, an iniuria? nihil ad tortorem, facti enim in eculeo questio est, iuris in iudicio. quod igitur in causa quærendum est, id agamus: hoc quod tormentis inuenire uis, id fatemur. Manu uero cur miserit, si id potius quaeris, quam cur parum amplis affecerit præmiis: nescis inimici factum reprehendere. dixit enim hic idem, qui omnia semper constanter, & fortiter, M. Cato, dixitque in turbulenta concione, quæ tamen huius auctoritate placata est: non libertate solum, sed etiam omnibus præmiis dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent, quod enim præmium satis magnum est tam beneuolis, tam bonis, tam fidelibus seruis propter quos uiuit? etsi id quidem non tanti est, quam quod propter eosdem non sanguine, & uulneribus suis crudelissimi inimici mentem, oculosque satiauit. quos nisi manumisisset, tormentis etiam dedendi fuerunt conseruatores domini, ultores sceleris, defensores necis? Hic uero nihil habet in his malis, quod minus moleste ferat, quam, etiam si quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum præmium perfolui. Sed quaestiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ nunc in atrio Libertatis, quibusnam de seruis? rogas? de P. Clodij

P. B.

Clodij. quis eos postulavit? Appius. quis produxit? Appius unde? ab Appio. Duj boni, quid potest agi seuerius? de seruis nulla quaestio est in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. proxime * deos accessit Clodius, propius quam tum, cum ad ipsos penetrarat: cuius de morte tanquam de caremoniis uiolatis quaeritur. Sed tamen maiores nostri in dominum d. seruo quaeri noluerunt, non quia non posset uerum inueniri, sed quia uidebatur indignum esse, & dominus morte ipsa tristius. in reum de seruis accusatoris cum quaeritur, uerum inueniri potest? Age uero, quae erat, aut qualis quaestio? heus * ubi Ruscio, ubi Casca? Clodius insidias fecit Miloni? fecit: certa crux, nullas fecit: sperata libertas. quid hac quaestione certius? subito arrepti in quaestionem: tamen separantur à ceteris, & in arcas coniciuntur, ne quis cum iis colloqui possit. hi centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. quid hac quaestione dici potest integrius? quid incorruptius? Quod si nondum satis cernitis, cum res ipsa tot, tam claris argumentis, signisq; luceat, pura mente, atq; integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo metu perterritum, nulla consciètia exanimatum Romam reuertisse: recordamini per deos immortales, quae fuerit celeritas reditus eius? qui ingressus in forum, ardente curia? quae magnitudo animi? qui uultus? quae oratio? Neq; uero se populo solum, sed etiam senatui tradidit: neque senatui modo, sed etiam publicis praesidiis, & armis neque his tantum, uerum etiam eius potestati, cui senatus tota rempublicam, omnem Italiae pubem, cuncta populi Romani arma commiserat. cui se numquam profecto tradidisset, nisi cause suae confideret, praesertim omnia audienti, magna metuè: multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna uis est consciètia

tia iudices, & magna in utramq; partem: ut neq; timeant,
 qui nihil commiserint, & poenam semper ante oculos uer-
 sari putent, qui peccarint. Neq; uero sine ratione certa,
 causa Milonum semper a senatu probata est. uidebant enim
 sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, de-
 fensionis constantiam. An uero obliuisti, iudices, recenti
 illo nuncio necis Clodiana, non modo inimicorum Milonis
 sermones, & opiniones, sed nonnullorum etiam imperio-
 rum, qui negabant eum Romanum esse rediturum? Sive enim
 illud animo irato, ac percilio fecisset, ut incensus odio tru-
 cidaret inimicum; arbitrabantur eum tanti mortem P. P. B.
 Clodij putasse, ut aequo animo patria careret, cum san-
 guine inimici expleisset odium suum: siue etiam illius morte
 patriam liberare uoluisset; non dubitaturum forem uirum,
 quin cum suo periculo salutem reipubl. attulisset, ce-
 deret aequo animo legibus, secum auferret gloriam sem-
 piternam, nobis haec fruenda relinqueret, quae ipse seruasset.
 Multi etiam Catilinam, atque illa portentosa loquebantur:
 erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriae fa-
 ciet: miseros in eisdem ciues optime de republica meritos: in
 quibus homines non modores praeclarissimas obliuiscun-
 tur: sed etiam in facias suspicantur. Ergo illa falsa fuerunt,
 quae certe uera extitissent, si Milo admisisset aliquid,
 quod non posset honeste, uereque defendere. Quid, quae
 postea sunt in eum coepta: quae quauis etiam mediocrium
 delictorum conscientiam percussissent, ut sustinuit, diu im-
 mortales sustinuit? immo uero ut contempsit, ac pro ni-
 hilo putauit quae neque maximo animo nocens, neq; in-
 nocens, nisi fortissimus uir, negligere potuisset. scutorum,
 gladiarum, frenorum, spatorum, pilorumq; etiam multitu-
 do deprehendi posse iudicabatur: nullum in urbe uicium, nul-
 lum

lum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset
 conducta domus: arma in uillam Otriculariam deuicta
 Tiberi: domus in cliuo Capitolino scutis referta: plena
 omnia malleolorum ad uerbis incendia comparatorum.
 Hæc non delata solum, sed pene credita: nec ante repu-
 diata sunt, quam quesita. Laudabam equidem incredi-
 bilem diligentiam Cn. Pompeij, sed dicam, ut sentio, iudi-
 ces, nimis multa audire coguntur, neq; aliter facere pos-
 sunt. P. II 4. sunt is, quibus tota commissa est respublica. quin etiam
 audendus sit Popæ Licinius nescio quis de Circo maxi-
 mo, seruos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos
 esse de interficiendo Cn. Pompeio coniuirasse: deinde postea
 se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. Pom-
 peio in hortos nuntiauit. arcessor in primis de amicorum
 sententia rem defert ad senatum. non poteram in il-
 lius mei, patriæque custodis tanta suspitione non metu
 exanimari: sed mirabar tamen credi Popæ ebriosorum
 confessionem seruorum audiri: uulnus in latere, quod acu
 punctum uideretur, pro ictu gladiatoris putari. Verum
 etiam, ut intelligo, cauebat magis Pompeius, quam time-
 bat: non ea solum, quæ timēda erant, sed omnia, ne aliquid
 uos timeretis. Oppugnata domus C. Caesaris clarissimi, &
 fortissimi uiri per multas noctis horas nuntiabatur: ne-
 mo audierat tam celebriloco, nemo senserat: tamen au-
 diebatur. non poteram Cn. Pompeium præstantissima
 uirtute ciuem, inuidum suspicari: diligentiam, tota repu-
 blica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo
 senatu nuper in Capitolio, senator inuentus est, qui Mi-
 lonem cum telo esse diceret. nudauit se in sanctissimo tem-
 plo, quoniã uita talis & ciuis, & uiri fidem nõ faciebat, ni-
 sico tacente, res ipsa loqueretur: omnia falsa, atq; insidiosè
 ficta

facta comperta sunt. Quod si tamen metuitur etiam nunc
 Milo, non hoc iam Clod. anum crimen timemus, sed tuas,
 Cn. Pōpei (te enim iam appello ea uoce, ut me audire pos-
 sis) tuas, inquam, suspiciones perhorrescimus. Si Milonē
 times, si hunc de tua uita nē farie aut nunc cogitare, aut
 molitum aliquando aliquid putas; si Italiae delectus, ut nō
 nulli conquisitores tui dicitant, si hęc arma, si Capitoli-
 nę cohortes, si excubię, si uigilia, si delecta inuentus, quę
 tuum corpus, domumque custodi contra Milonis impetum
 armata est, atq; illa omnia in hęc unum instituta, parata, P. B.
 intenta sunt: magna in hoc certe uis, & incredibilis ani-
 mus, & non unius uiri uires, atq; opes indicantur, si qui-
 dem in hunc unum & prestantissimus dux electus, & to-
 ta respub. armata est, sed quis non intelligit, omnes tibi
 reipub. partes agras, & labātes, ut eas his armis sanares,
 & confirmares, esse commissas? Quod si Miloni locus da-
 tus esset, probasset profecto tibi ipsi, neminem unquam
 hominem homini cariorum fuisse, quam te sibi: nullum se
 unquam periculum pro tua dignitate fugisse: cum illa
 ipsa tēterrima peste sapissime pro tua gloria contendisses:
 tribunatum suum ad salutem meam, quę tibi carissima
 fuisset, consilijs tuis gubernatum: se a te postea defensum
 in periculo capitis, adiutum in petitione praturę: duos se
 habere semper amicissimos sperasse, te tuo beneficio, me
 suo. quę si non probaret; si tibi ita penitus insedisset ista
 suspicio, nullo ut euelli modo posset; si deniq; Italia a dele-
 ctu, urbs ab armis, sine Milonis clade nunquam esse cō-
 quietura; nē iste haud dubitans cessisset patrias, qui ita
 natus est, & ita consuevit, te, Magne, tamen attestaretur;
 quod nunc etiam facit. Vide, quam sit uaria uita, commu-
 tabilisq; ratio, quam uaga, uolubilisq; fortuna, quantę in-

fidelitates in amicis, quam ad tempus aptæ simulationes,
 quantæ in periculis fugæ proximorum, quæ timidiitates
 erit, erit illud profecto tempus, & illucescet aliquando ille
 dies, cum tu salutariibus, ut spero, rebus tuis, sed forte se
 motu aliquo communi in temporum immutatus (qui quam
 crebro accidat, experti debemus scire) & amicissimæ bene
 uolentiam, & grauissimi hominis fidem, & unius post ho-
 mines natos fortissimi uiri magnitudinem animi desideres.
 P. 115. Quamquam quis hoc credat, Cn. Pompeium iuris publici,
 moris maiorum, rei denique publicæ peritissimum, cum se-
 natus ei commiserit, ut uideret, ne quid respub. detrimenti
 caperet (quo uno uersiculo satis armati semper consules
 fuerunt, etiam nullis armis datis) hunc exercitum, hunc de-
 lectum dato, iudicium expectaturum fuisse in eius consilijs
 uindicandis, qui uel iudicia ipsa tolleret? satis indicatum
 est a Pompeio, falso ista conferri in Milonem, qui legem
 tulit, quæ, ut ego sentio, Milonem absolui oporteret; ut
 omnes consentiant, liceret. Quod uero in illo loco atque in
 illis publicorum presidiorum copijs circumfusis sedet, satis
 declarat, se non terrorem inferre uobis (quid enim illo mi-
 nus dignum quam cogere, ut uos eum condemnetis, in quæ
 animaduertere ipse, & more maiorum, & suo iure pos-
 set?) sed presidio esse: ut intelligatis, contra hesternam
 concionem illam licere uobis, quod sentiat, libere iudi-
 care. Nec uero me, iudices, Clodij animum mouet: nec
 tam sum demens, tamque uestri sensus ignarus, atque expertus,
 ut nesciam, quid de morte Clodij sentiat. de qua si iam
 nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni
 palam clamare, atque mentiri gloriose liceret: Occidit, oc-
 cidit, non Sp. Melium, qui, amona leuanda, iacturisque rei
 familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in su-
 spicio

spicionem incidit regni appetendi: non Tiberium Grac-
 chum, qui collega magistratum per seditionem abregauit:
 quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis
 sui gloria: sed cum (auderet enim dicere, cum patriam pe-
 riculo suo liberasset) cuius nefarium adulterium in pul-
 uinavibus sanctissimis nobilissima femina comprehendere-
 runt: eum, cuius supplicio senatus solennes religiones ex-
 piandas saepe censuit: eum, quem cum sorore germana ne-
 farium stuprum fecisse L. Lucullus iuratus se, quaestioni-
 bus habitis, dixit compuisse: eum, qui ciuem, quem sena-
 tus, quem populus, quem omnes gentes, urbis, ac uita ci-
 uium conseruatore[m] iudicabant, seruorum armis exter-
 minauit: eum, qui regna dedit, demit; orbem terrarum,
 quibuscum uoluit, partitus est: eum, qui, pluribus cadibus
 in foro factis, singulari uirtute, & gloria ciuem domum
 ui, & armis compulit: eum, cui nihil unquam nefas fuit
 nec in facinore, nec in libidine: eum, qui adem Nympha-
 rum incendit, ut memoriam publicae recensionis tabulis
 publicis impressam extingueret: eum denique, cui iam
 nulla lex erat, nullum ciuile ius, nulli possessionem ter-
 mini, qui non calumnia litium, non iniustus uindictis, ac
 sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis in-
 ferendis, petebat: qui non solum Etruscos (eos enim peni-
 tus contempserat) sed hunc Cn. Pompeium uirum fortissi-
 mum, atque optimum ciuem, iudicem nostrum pellere pos-
 sessionibus, armis, castrisque conatus est: qui cum archite-
 ctis, & decempedis uillas multorum, hortosque peragra-
 bat: qui tuniculo, & Alpibus spem possessionum termina-
 bat suarum: qui cum ab equite Rom. splendidissimo, &
 forti uiro, T. Pacanio non impetrasset, ut insulam in lacu
 Pretio uenderet, repente lintribus in eam insulam mate-

P. B.

riam, calcem, camenta atq; arenam conuexit, dominoque
 trans ripam inspectante, non dubitauit adificium exstruere
 in alieno: qui huic T. Furfano, cui uiro dii immortales!
 (quid enim de muliercula Sactia? quid de adolescente Apro
 P. 116. nio dico? quorum utriq; mortem est minitatus, nisi sibi hor-
 torum possessione cessisset) sed ausus est Furfano dicere, si
 sibi pecuniam, quantam poposcerat, non dedisset, mortuum
 se in domum eius illaturum: qua inuidia huic esset tali ui-
 ro conflagrandum; qui Appium fratrem hominem mihi
 coniunctum fidelissima gratia, absentem de possessione fun-
 di deiecit; qui parietem sic per uestibulum sororis instituit
 ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modo uesti-
 bulo priuaret, sed omni aditu, & limine. Quamquam haec
 quidem iam tolerabilia uidebantur: etsi aquabiliter in
 rempub. in priuatos; in longinquos; in propinquos, in alie-
 nos, in suos irruerat: sed nescio quomodo iam usu obdu-
 ruerat, & percalluerat ciuitatis incredibilis patientia. quae
 uero aderant iam, & impendebant, quoniam modo ea aut
 depellere potuissetis, aut ferre imperium, si id ille nactus
 esset. Omitto socios, exterarum nationes, reges, tetrarchas,
 uota enim feceratis, ut in eos se potius mitteret, quam in
 uestras possessiones, uestra testa, uestras pecunias: pecu-
 nias dico: à liberis medius fidius, ac coniugibus uestris ni-
 quam ille effrenatas suas libidines cohibuisset. Fingi haec
 putatis, quae patent, quae nota omnibus, quae tenentur: ser-
 uorum exercitus illum in urbe conscripturum fuisse, per
 quos totam rempub. resq; priuatas omnium possideret? Quã-
 obrem, si cruentum gladium tenens clamaret T. Annus,
 Adeste, quaso, atq; audite, ciues. P. Clodium interfeci: eius
 furor, quos nullis iam legibus, nullis iudiciis frenare po-
 teramus, hoc ferro, & hac dextera à ceruicibus uestris
 repulsi

repuli: per me unum * effectum est, ut ius, aequitas, leges,
 libertas, pudor, pudicitia in ciuitate manerent: * enim uero
 timendum, quoniam modo id * factum ferret ciuitas, nunc
 enim quis est, qui non probet? qui non laudet? qui non unum
 post hominum memoriam T. Annium plurimum reipubl
 profuisse, maxima letitia populum Romanum, cunctam
 Italiam, nationes omnes affectisse, & dicat, & sentiat? * Ne
 queo uetera illa populi Romani, quanta fuerint gaudia
 iudicare: multas tamen iam summorum imperatorum cla
 rissimas uictorias etas nostra uidit, quarum nulla neque
 tam diuturnam attulit letitiam, ne tantam mandate hoc
 memoria, iudices, spero multa uos, liberosq; uestros in re
 publica bona esse uisuros. in his singulis ita semper ex sti
 mabitur, uiuo P. Clodio, nihil horum uos uisuros fuisse, in
 spem maximam, & quemadmodum confido, uerissimam
 adducti sumus, hunc ipsum annum, hoc summo uiro con
 sule concussa hominum licentia, cupiditatibus fractis, le
 gibus, & iudiciis constitutis, salutarem ciuitati fore. Num
 quis igitur est tam demens, qui hoc P. Clodio uiuo, contingere
 potuisse arbitretur? Quid e eas, quae tenetis, priuata,
 atq; uestra, dominante homine furioso, quod ius perpetuae
 possessionis habere potuissent? Non timeo, iudices, ne odio
 inimiciarum mearum inflamatus, libentius haec in illum
 euomerē uidear, quam uerius. etenim etsi praecipuum esse
 debebat, tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut
 in communi odio pene equaliter uersaretur odium meum.
 Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo
 sceleris, quantum exitij fuerit. Quin sic attendite, iudices.
 nempe haec est questio de interitu P. Clodij, fingite an mis
 liberae enim sunt cogitationes nostrae, & quae uolunt, sic
 intuentur, ut ea cernimus, quae uidemus. fingite igitur co-

P. B.

P. 117.

gitatione imaginem huius conditionis mea, si possim effi-
 cere, ut Milonem absoluatis: sed ita, si P. Clodius reuixerit.
 Quid uultu extimuisstis? quonam modo ille uos uiuus affe-
 cerat, qui mortuus inani cogitatione percussit? quid? si ipse
 Cn. Pompeius, qui ea uirtute, ac sapientia est, ut ea potuerit
 semper, qua nemo praeter illum: si is, inquam, potuisset,
 ut quaestionem de morte P. Clodij ferre, sic ipsum ab inferis
 excitare: utrum putatis facturum fuisse? etiam si propter
 amicitiam uellet illum ab inferis reuocare, propter
 rempub. non fecisset. Eius igitur mortis sedetis ultores, cuius
 uitam, si putetis per uos restitui posse, nolitis: & de
 eius nece lata quaestio est, qui si eadem lege reuiuiscere
 posset, lata lex numquam esset. Huius ergo interfecto non
 esset etiam confitendo ab iis impetraturus, ne poenam timeret,
 quos liberauisset? Graci homines deorum honores
 tribuunt iis uiris, qui tyrannos necauerunt. quae ego uidi
 Athenis? quae aliis in urbibus Graeciae? quas res diuinas ta-
 libus institutas uiris? quos cantus? quae carmina? prope ad
 immortalitatem, & * religionem, & memoriam conse-
 crantur: uos tanti conseruatorem populi, tanti sceleris
 ultorem non modo honoribus nullis afficietis, sed ad sup-
 plicium rapi etiam patiemini? Confiteretur, confiteretur,
 inquam, si fecisset, & magno animo, & libenter, se fecisse,
 libertatis omnium causa: quod certe ei non confitendum
 modo fuisset, uerum etiam praedicandum. Etenim, si id non
 negat, ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur; dubitaret id
 fateri, ex quo etiam praemia laudis essent petenda: nisi uero
 gratius putat esse uobis, sui se capitis, quam uestri ordinis
 defensorem fuisse: cum praesertim in ea confessione, si grati
 esse uelletis, honores assequeretur amplissimos: sin factum
 nobis non probaretur (quamquam qui poterat salus sua
 cuiq;

cuique non probari) sed tamen si minus fortissimi uiri P. B. uirtus ciuibus grata cecidisset, magno animo, constantiq; cederet ex ingrata ciuitate. nam quid esset ingratius, quam letari ceteros, lugere eum solum, propter quem ceteri latarentur? Quamquam hoc animo semper omnes fuimus in patria proditoribus opprimendis; ut, quoniam nostra futura esset gloria, periculum quoque, & inuidiam nostram putaremus. nam quæ mihi contribuenda laus esset ipsi, cum tantum in consulatu meo pro uobis, ac liberis uestris ausus essem, si id, quod conabar, sine maximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitrarer? quæ mulier sceleratum, ac perniciosum cinem occidere non auderet, si periculum non timeret? Proposita inuidia, morte, pœna, qui nihilo segnius rempub. defendit, is uir uere putandus est. Populi grati est, præmijs afficere bene meritos de repub. ciues: uiri fortis, ne supplicijs quidem moueri, ut fortiter fecisse paniteat. Quamobrem uteretur eadem confessione T. Annius, qua Abala, qua Nasica, qua Opimius, qua Marius, qua nosmetipsi: & si grata respub. esset, lataretur: si ingrata, tamen in graui fortuna, conscientia suaniteretur. Sed huius beneficij gratiam, iudices, fortuna populi Romani, & uestra felicitas, & dij immortalis sibi debere putant. Nec uero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam uim caelestem existimat, numerue diuinum: quem neq; imperij uestri magnitudo, neq; sol ille, nec cali, & signorum motus, nec uicissitudines rerum, atq; ordines moment, neque id, quod maximum est, maiorum sapientia; qui sacra, qui ceremonias, qui auspicia & ipsi sanctissime coluerunt, & nobis suis posteris prodiderunt. Est, est profecto illa uis: neque in his corporibus, atque in hac incertitate nostra inest quiddam, quod uigeat, & sentiat, &

non inest in hoc tanto natura, tam præclaro motu: nisi forte idcirco esse non putant, quia non apparet, nec cernitur: perinde quasi nostram ipsam mentem, quæ sapimus, quæ providemus, quæ hæc ipsa agimus, ac dicimus, uidere, aut plane, qualis, aut ubi sit, sentire possimus. Ea uis, * ea est igitur, quæ sæpe incredibiles huic urbi felicitates, atque opes attulit: quæ illam perniciem exstinxit, ac sustulit: cui primum metem iniecit, ut ni irritare, ferroque lacessere fortissimum uirum auderet, uincereturque; ab eo, quem si uicisset, habiturus esset impunitatem, & licentiam sempiternam. Nō est humano consilio, ne mediocri quidem, iudices, deorum immortalium cura res illa perfecta: religiones, mehercule ipsæ, aræque; cum illam belluam cadere uiderunt, cōmouisse se uidentur, & eius in illo suum retinuisse. uos * enim Albani tumuli, atque luci, uos, inquam, imploro, atque obtestor, uosque; Albanorum obruta aræ sacrorum populi Rō. sociæ, & æquales, quas ille præceps amētia, cæsis, prostratisque; sanctissimis lucis, substructionum insanis molibus oppresserat: uestræ tum aræ, uestræ religiones uiguerunt, uestra uis ualuit, quam ille omni scelere polluerat: tuque ex tuo edito monte Latialis, sancte Iupiter, cuius ille lacus, memora, finesque; sæpe omni nefario stupro, & scelere macularat, aliquando ad eum puniendū oculos aperuisti: uobis ille, uobis uestro in conspectu seræ, sed iustæ tamen, & debite pœnæ solutæ sunt, nisi forte hoc etiam casu factum esse dicimus, ut ante ipsum sacrarium Bonæ deæ, quod est in fundo T. Sextij Galli in primis honestis, & ornati adolescentis, ante ipsam, inquam, Bonam deam, cum prælium commisisset, primum illud uulnus acceperit, quo teterrimam mortem obiret: ut non absolutus iudicio illo nefario uideretur, sed ad hanc insignem pœnam reseruatus. Nec uero non eadem

dem ira deorum hanc eius satellitibus iniecit amētiā, ut sine imaginibus, sine cātu, sine ludis, sine exsequijs, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore, & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur, *etiam abiectus. nō fuisse credo fas clarissimorum uirorum formas illi tēterrimo parricidæ aliquid decoris afferre; neque ullo in loco potius mortem eius lacerari, quam in quo uita esset damnata. Dura mihi medijs fidijs iam fortuna populi Rom. & crudelis uidebatur, quæ tot annos illum in hanc rem. insultare uideret, & pateretur: polluerat stupro sanctissimas religiones: senatus grauissima decreta perfrēgerat: pecunia se palam a iudicibus redemerat: uexerat in tribunatu senatum: omnium ordinum consensu pro salute reipubl. gesta resciderat: me patria expulerat: bona diripuerat: domum incenderat: liberos, coniugem meam uexauerat: Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat: magistratum, priuatorumque cædes effecerat: domum mei fratris incenderat: uastarat Etruriam: multos sedibus, ac fortunis eiecerat: instabat, urgebat: capere eius amentia ciuitas, Italia, prouinciæ, regna non poterāt. incidebantur iam domi leges, quæ nos nostris seruis addicerēt: nihil erat cuiusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. obstabat eius cogitationibus nemo, illum præter Milonem ipsum, qui poterat obstare: Cn. Pompeium nouo reditu in gratiam quasi deuinctum arbitrabatur: Cæsar is potentiam, suam potentiam esse dicebat: bonorum animos etiam in meo casu contempserat: Milo unus urgebat. Hic dij immortales, ut supra dixi, mentem dederūt illi perditio, ac furioso, ut huic faceret insidias: aliter perire pestis illa non potuit. numquam illum resp. suo

P. 119.

iure esset ultra. Senatus, credo, prætorem eum circumscripsisset. ne cum solebat quidem id facere in privato eodem hoc, aliquid profecerat. An consules in prætore coercendo fortes fuissent? primum, M. Ione occiso, habuisse suos consules: deinde quis in eo prætore consul fortis esset, per quem tribunum, uirum consularem crudelissime necatum esse meminisset? omnia possideret, teneret lege noua, qua est inuenta apud eum cum reliquis legibus Clodianis, seruos nostros libertos suos fecisset. postremo, nisi cum aij immortales in eam mentem impulissent, ut homo effeminatus fortissimum uirum conarctur occidere, hodie remp. nullam haberetis. An ille prætore, ille uero consul, si modo hæc templi, atque ipsa mœnia stare, eo uiuo, tam diu, & consulatum eius expectare potuissent, ille denique uiuus, malinibilib fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sext. Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius uidimus? templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilij publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab uniuerso populo Romano concessam uni ordini, inflammari, excindi, funestari? neque id fieri a multitudine imperita, (quamquam esset miserum id ipsum) sed ob uno, qui cum tantum ausus sit ultor pro mortuo, quid signifer pro uiuo non esset ausus? In curiam potissimum abiecit, ut eam mortuus incederet, quam uiuus euerterat. & sunt, qui de uia Appia querantur, taceant de curia? Ecquando ab eo spirante forum potuisset defendi, cuius non resisterit cadaueri curia? Excitate, excoitate eum, si potestis ab inferis: frægetis impetum uiui, cuius uix sustinetis furias in sepulchris: nisi uero sustinueritis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Castoris, cum gladijs toto fero uolitarunt.

P. B.

tarunt. Cedi uidistis populum Romanum, concionem gladiis distarbari, cum audiretur silentio M. Caelius tribunus plebis uir fortissimus, & insuscepta causa firmissimus, & honoru uoluntati, & auctoritati senatus deditus, & in hac M. lonis siue inuidia, siue fortuna, singulari, diuina, & incredibili fide. Sed iam satis multa de causa, extra causam etiam nimis fortasse multa. Quid restat nisi ut orem, obtesterq; uos, iudices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo uiro, quam ipse non implorat, ego autem, repugnante hoc, & imploro, & exposco. Nolite, si in nostro omnium fletu nullam lacrymam affexistis M. lonis, si uultum semper eundem, si uocem, si orationem stabilem, ac non mutata uidetis, hoc minus ei parcere: atq; haud scio, an multo etiam sit adiuuandus magis. Etenim, si in gladiatoris pugnis, & infimi generis hominum condicione, atq; fortuna timidos, & supplices, & ut uiuere liceat, obsecrantes; etiam odisse solemus fortes, & animosos, & se acriter ipsi morti offerentes seruare cupimus: eorumq; nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant: quatio hoc magis in fortissimis ciuibus facere debemus? Me quidem, iudices, exanimant, & interimunt haec uoces M. lonis, quas audio assidue, & quibus intersum quotidie: Valeant, inquit, ualeant ciues mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati: stet haec urbs praecleara, mihiq; patria carissima, quoquo modo merita de me erit. tranquilla republ. ciues mei (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur. ego cedam, atq; adibo, si mihi republica bona frui non licuerit, at carebo mala: & quamprimum tetigero bene moratam, & liberam ciuitatem, in ea conquescam. O frustra, inquit, suscepti mei labores! o spes fallaces! o cogitationes inanes meae!

ego cum tribunus pleb. rep. oppressa, me senatui dedissem, quem extinctū acceperam; equibus Romanis, quorū uires erant debiles; bonis uiris, qui omnem auctori aтем Clodiani armis abiecerant; mihi unquam bonorum praesidium futurum putarem? Ego cum te (mecum enim sapissime loquitur) patriā reddidissem, mihi non futurum in patria putarem locum? Vbi nunc senatus est, quem secuti sumus? ubi equites Romani, illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiae uoces? ubi denique tua, M. Tulli, quae plurima fuit auxilio, uox, & defensio? mihi ne ea soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opitulari? Nec uero haec, iudices, ut ego nunc, flens sed hoc eodem loquitur uultu, quo uidetis. negat enim se, negat ingratis ciuibus fecisse, quae fecerit: timidus, & omnia circumspicientibus pericula, non negat. plebem, & infimam multitudinem, quae, P. Clodio duce, fortunae uestrae imminere, eam, quo tutior esset uita uestra, se fecisse commemorat, ut non modo uirtute fleret, sed etiam tribus suis patrimoniis delireret: nec timet, ne, cum plebem muneribus placarit, uos non conciliarit meritis in reipubl. singularibus: senatus erga se beneuolentiam temporibus his ipsis saepe esse perspectam: uestras uero, & uestrorum ordinum occursationes, studia, sermones, quemcumque cursum fortuna dederit, secum se ablatum esse dicit. Meminit etiam sibi

P. B. uocem praecoris modo defuisse, quae minime desiderarit: populi uero cunctis suffragiis, quod unum cupierit, se consulem declaratum, nunc denique si haec arma contra se sint futura, sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. Addit haec, quae certe uera sunt, fortes, & sapientes uiros non tam praemia sequi solere recte factorum, quam ipsa re facte facta: se nihil in uita, nisi praeclearissime, fecisse: si quidem nihil

nihil sit præstabilius uiro, quam periculis patriâ liberare: beatos esse, quibus ea res honori fuerit à suis ciuibus: nec tamen eos miseros, qui beneficio ciues suos uicerint. Sed tamen ex omnibus præmiis uirtutis, si esset habèd ratio præmiorum, amplissimum esse præmium gloriâ: esse hæc unam quæ breuitatē uitæ postea in ætate memoria consolaritur: quæ efficeret, ut absentes adessemus, mortui uiueremus: hæc denique esse, cuius gradibus etiam homines in cælum uideantur ascendere. De me, inquit, semper populus Romanus, semper omnes gētes loquentur, nulla unquam obmutescet uetustas. quin hoc tempore ipso, cū omnes à tuis inimicis faces inuidiæ meæ subiciuntur: tamen omni in hominum cœtu gratiis agendis, & gratulationibus habendis, & omni sermone celebrantur. Omitto Etruria festos, & actos, & institutos dies: centesima lux est hæc ab interitu P. Clodij. & opinor, ultra quam fines imperij populi Ro. sunt, nō solum fama iam de illo, sed etiā lætitia peragravit. Quamobrem ubi corpus hoc sit, non inquit, laboro, quamiam omnibus in terris & iam uersatur, & semper habitabit nominis mei gloria. Hæc tu mecum sæpe his absentibus: sed iisdē audientibus, hæc ego tecum, Milo: Te quidē, quod isto animos es, satis laudare nō possum: sed quo est illa magis diuina uirtus, eo maiore à te dolore diuellor. Nec uero, si mihi eriperis, P. 121. reliqua est illa tamen ad consolandum querela, ut his irasci possim, à quibus tantum uulnus accepero. nō enim inimici mei te mihi eripient, sed amicissimi: non male aliquando de me meriti, sed semper optime. Nullū unquam, iudices, mihi tantū dolorem inuretis (etsi quis potest esse tantus?) sed ne hunc quidē ipsum, ut obliuiscar, quātū me semper feceritis quæ si uos cepit obliuio, aut si in me aliquid offendistis, cur nō id meo capite potius luitur, quàm Milonis? Præclare enim

uixero

nixero, si quid mihi acciderit prius, quam hoc tantum ma-
 li uidero. Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, ô T.
 Annis, nullum à me amoris, nullum studij, nullum pietatis
 officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetui: ego
 meum saepe corpus & uitam obieci armis inimicorum tuorum:
 ego me plurimis pro te supplere abieci: bona, fortunas
 meas, ac liberorum meorum in communionem tuorum tempo-
 rum contuli: hoc denique, ipsi dicunt, si qua uis est parata, si qua
 dimicatio capitis futura, depono. Quid iam restat? quid ha-
 beo, quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis? nisi ut
 eam fortunam, quae cumque erit tua, ducam meam? Non recu-
 so, non abnuo: uosque obsecro, iudices, ut uestra beneficia, quae
 in me contulistis, aut huius salute augeatis, aut in eius-
 dem exitio occasura esse iubcatis. His lacrymis non moue-
 tur Milo: est quodam incredibili robore animi: exsilium
 ibi esse putat, ubi uirtuti non sit locus: mortem naturae fi-
 nem esse, non poenam. Sed hic ea mente natus est, quid uos,
 iudices? quo tandem animo eritis? memoriam Milonis re-
 tinebitis, ipsum euicietis? & erit dignior locus in terris ul-
 lus, qui hanc uirtutem excipiat, quam hic, qui proceperat?
 Vos, uos appello, fortissimi uiri, qui multum pro republica
 sanguinem effudistis: uos in uiri, & in ciuis inuicti appello
 P. B. periculo, centuriones, uosque milites: uobis non modo in spe-
 ctantibus, sed etiam armatis, & huic iudicio praesidentibus
 hanc tanta uirtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur?
 eum ietur? O me miserum! ô me infelicem! reuocare tu me in
 patriam, Milites, potuisti per hos; ego te in patria per eos esse re-
 tinere non potero? Quid respondebo liberis meis, qui te pa-
 tritem alterum putant? quid tibi, O frater, qui nunc abes,
 consorti mecum temporum illorum? me non potuisse Milonis
 salutem tuam per eos esse, per quos nostram ille seruasset: at in
 qua

qua caussa non potuisse? quæ est grata gentibus: a quibus non potuisse? ab ijs, qui maxime P. Clodij morte acquirunt. quo deprecante? me. Quodnam concepisti tantum scelus? aut quod in me tam facinus admisi, indices, cum illa iudicia cõmunis exitij indagavi, patefeci, protuli, extinxisti? omnes in me, meosque redundat ex illo fonte dolores. Quid me reducem esse uolueritis? an ut, inspectante me, expellerentur ijs, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro uos, pati, mihi acerbio rem reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. Nã qui potissimum putare me restitutum esse, si distrabor ab ijs, per quos restitutus sum? Viam dii immortales fecissent (pate tua, patria, dixerim: metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) ut P. Clodius non modo uiueret, sed etiam prætor, consul, dictator esset, antequam hoc spectaculum uiderem. O dii immortales: fortem, & a uobis, iudices, conseruandum uisum. Minime, minime inquit in me uero pœnas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est, nõ debitas. Hiccine uir patriæ natus, usquã nisi in patria morietur? aut, si forte pro patria, huius uos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? hunc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes uobis expulsum a uobis ad se uocabunt? O terram illam beatam, quæ hunc uirum exceperit: hanc ingrati, si eiecerint: miseram, si amiserint. Sed finis sit. neque enim præ lacrymis iam loqui possum, & hic se lacrymis defendi uetat. uos ore, obtestorque iudices, ut in sententijs ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram uirtutem, iustitiam, fidem (nãbi credite) is maxime probabit, qui in iudicijs legendis optimum, & sapientissimum quemque legit.

P. 122.

PRO